



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

§. 6. Mores Polonorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

§. 6. *Mores Polonorum.*

INTER Septentrionales Europæos Poloni maximè urbani sunt, libertatis amantissimi, retinentissimi morum suorum, ingenio valent, & ad omnes disciplinas idonei, quas plerique nobiles profitentur. Oblongis vtuntur togis more Turcico, quas tamen belli tempore mutant in sagum. In condiendis cibis, ut & epulis parùm culti, omnes in eodē poculo ebibunt; nulla mantilia ad map-pam communem digitos abstergunt. In vrbibus sat lautæ domus, in agris ex luto, & paleâ. Nobilitas rusticos ad instar mancipiorum habet. Pauci reperiuntur qui Latinè nesciant. Lingua vtuntur Sla-vicâ, cui multas Germanicas voces admiscuere. Linguam Græcam detestantur ob schismaticos Græcos. Si nobilis hîc moriatur nondū vxore ducta, eius affines purpurati funus eius cohonestant. Equis expeditissimis vtuntur, sed parùm domitis: preciosis vestibus induti nobiles incedunt. De moribus Lithuanorum, Prussorum legantur, qui de his plura scripsierunt, iam enim in Polonorum mores, ut & ditionem populi illi transierunt.

§. 7. *Regni Polonici constitutio.*

CONFLATVM est hoc Imperium ex Poloniâ, Lithuania, Prus-siâ, & regionibus iisdem adiunctis: hîc videndum nobis quomodo hæ omnes in vnum corpus coaluerint.

RVSSIA MERIDIONALIS subacta est à Casimiro Magno, cum progenies Danielis Ducis hîc defecisset. Eodem etiam regnante,

MASSOVIA Dux secesso Polonico subiecit; habuit tamen hæc Provincia Principes suos ad annum Christi 1526.

LITHVANIA, per Iagellonem Ducem adiecta est, qui nupsit anno 1386. Heduuigæ filiæ Ludouici Hungari Poloniæ Regis eâ lege, ut suos thesauros in Polonię deferret, & Poloniæ ditiones suas adneceteret; scilicet Lithuania, Samogitiā, & partem Russiæ Albæ.

Recepit idem Iagello, dictus postea Vladislaus, in clientelam Vaiuodam Moldauiæ, qui ab Hungari tempore interregni sese subduxerat.

Eodem imperante nobiles Prussi sese Polonis adiunxerunt, sed id demum sub Sigismundo firmius perfectum est.